

xrite

colorchecker CLASSIC

Para el Sr. D. Josef Sanz de Larrea R. 35.555  
=A-546-20= EX A-546-el P. Pio.

FRANCISCI IACQUIERII  
INSTITUTIONIBUS PHILOSOPHICIS  
POSITIONES  
ALIORUM RECENTIORUM PLACITIS ADORNATAE  
QUAS  
PUBLICAE EXPONIT DISPUTATIONI



SUB AUSPICIIS  
CL. VIRI D. D. PETRI MARIAE RIC  
ET DE MONTSERRAT

SS. D. N. PII PAPAE VI. CUBICULARII  
RAPHAEL A CONCEPTIONE B. M. V.  
é Cler. Regul. Schol. Piar.

PRAESES ADERIT  
PIUS A S. SEBASTIANO IN BARBASTRENSI  
Schol. Piar. Collegio Philos. Profes.

PROPUGNABUNTUR IN COLL. BARBASTR. TEMPLO  
D. LAURENTIO SACRO

Die 23 Mensis Ianuarii An. MDCCLXXXV.  
SUPERIORUM PERMISSU.

Caesar-Aug. : Ex Officina Francisci Magallon.

A - 546 - 20

AGA 000 74

Documenta 4

Ex Francis

T10 1073

doc. 4

ATA 00074

Para el S.<sup>r</sup> D.<sup>no</sup> Josef Sanz de Lanza P. 35.555

=A-546-20=

A-546-el P. P.º.

**EX**

**FRANCISCI IACQUIERII  
INSTITUTIONIBUS PHILOSOPHICIS**

**POSITIONES**

**ALIORUM RECENTIORUM PLACITIS ADORNATAE**

**QUAS**

**PUBLICAE EXPONIT DISPUTATIONI**

**SUB AUSPICIIS**

**CL. VIRI D. D. PETRI MARIAE RIC  
ET DE MONTSERRAT**

**SS. D. N. PII PAPAE VI. CUBICULARII**

**RAPHAEL A CONCEPTIONE B. M. V.**

*é Cler. Regul. Schol. Piar.*

**PRAESES ADERIT**

**PIUS A S. SEBASTIANO IN BARBASTRENSI**

*Schol. Piar. Collegio Philos. Profes.*

**PROPUGNABUNTUR IN COLL. BARBASTR. TEMPLO**

**D. LAURENTIO SACRO**

*Die 23 Mensis Januarii An. MDCCLXXXV.*

**SUPERIORUM PERMISSU.**

---

**Caesar-Aug. : Ex Officina Francisci Magallon.**

T 101073

C 1142719

*Nec vero sine Philosophorum disciplina genus, & speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec iudicare quae vera, quae falsa sunt, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Cicero de Divinat.*





**AMPLISSIMO , ET ADMODUM ILLU-**  
**STRI VIRO D. D. PETRO MARIAE RIC , ET MONT-**  
**SERRAT , Pueyo de Urries , & Uztariz , SS.**  
**D. N. Pii VI. Pont. Max. Cubiculario , littera-**  
**riae Sertoriano-Oscensis Academiae , & Re-**  
**gii Vincentini Collegii Rectori , Regii Bar-**  
**cinonensis bonarum artium Coetus merito-**  
**simo Socio , Baronis de Valdeolivos , Charla-**  
**ni de Aguilar , Domini Pagorum de Bu-**  
**jeda & Torre Aguilar &c. &c. Primogenito**

**RAPHAEL A CONCEPTIONE B. V.**

é Scholis Piiis.

**S**ingularis illa virtutis indoles , & qua plu-  
rimum praestas ingenii facilitas , ac benevo-  
lencia incredibilis , qua litterarum studiosos ,  
& huius nostri Collegii Professores à pri-  
maeva aetate complexus es , in caussa sunt ,  
**NOBILISSIME RECTOR** , ut libellum hunc , qui  
totus est in Matheseos elementis , & cultioris  
Philosophiae praeceptis , & institutis , **TVO** po-  
tissimum nomini audeam consecrare. Si enim  
ulti-



ultimam annorum superiorum memoriam repetam, & mecum ipse cogitem, quanto studio, quantaque diligentia in hoc ipso Collegio animum adieceris ad ea studia perficienda, quae teste Tullio, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant: & summam ingenii laudem, qua & Rhetores, & Poetas, & Oratores interpretatus es, inter aequales primos ordines ducens, ipsosque Magistros magna nec iniucunda admiratione perfundens, inveniam profecto, Collegium hoc, quod plurimos scientiarum, & pietatis gloria claros protulit Alumnos; *TE* uno tamquam praecipuo suo ornamento iure merito gloriari posse. Et certe, quum ex felici illo temporis momento, quotquot hic Adolescentes ad pietatem, & litteras informamur, beneficentissimum *TE* patronum experti simus, aequum erat, ut observantiae erga *TE* nostrae argumentum publica aliqua litterarum significatione testatum relinquere-  
mus. Novimus enim nihil *TE* magis in deliciis habere, quam huius nostri Collegii decus, & gloriam, totis viribus promovere. Hinc fit, ut nostram publice docendi, discen-  
di-

dique rationem nedum ipse probes, & alibi vigere contendas; sed data etiam occasione apud primi subsellii viros summopere commendes; qua de re maximas *TIBI* habere debemus gratias, et immortales. Si enim ille apud Naevium Hector, ut auctor est Tullius, non utcumque laudari volebat, sed à laudato viro; quod aliud aut gloriosius, aut iucundius à nobis testimonium exoptari poterat, quam *TUUM* sapientissimi viri, integritate & litteris spectatissimi, ac de litteraria rep. optime meriti iudicium? Quare prodeunt in lucem Theses hae philosophicae *TVO* potissimum nomini inscriptae, in quibus Critices, sanioris morum doctrinae, Iuris naturae, & Politici praecipua veluti capita propugnanda firmamus, quibus *TU* tantopere delectaris, tantosque in his studiis progressus vix adolescentiam ingressus effecisti, ut cunctis Oscensis Academiae Auditoribus palmam praerriperis. Vos, vos Sertorianae Academiae Doctores testes adpello huius veritatis locupletissimos. Nonne vos ipsi spectatores vidistis, suspexistis summam huius viri in dicendo copiam, in respondendo  
dex-

dexteritatem, in rebus difficillimis explicandis facilitatem, ingenii vim, & rationum momenta, cum in publico vestro ad concertationes loco *Theses* illas *extemporarias* doctrinae, & eruditionis copia refertas ad *naturae* & *gentium* iura firmanda, exemplo in vestra Academia non audito, Supremo etiam Castellae Senatu approbante, cum ingenti omnium plausu, admiratione defendit, illibatam Reip. fortunas ad prudentiae, & verae utilitatis canones adseruit; Pseudo-politicorum deliramenta, systemata Religioni christianae parum consona prostravit, contrivit, funditus evertit? Cuius rei vel maxima laus est, quod *Thesium* illarum exemplar ad Rom. Pontificem, cui erant inscriptae, delatum, illique humiliter porrectum, non solum benigne exceptum, magnoque in pretio habitum fuisse comperimus; sed Pius ipse VI. ea, qua pollet singulari, neminique non perspecta humanitate, legit, probavit, laudavit; *PETRUM RIC* Maecenatem nostrum litteris amoris, ac benevolentiae significationibus cumulatis, ad studia pro viribus inoffenso pede percurrenda adhortatus est. O

virum inter litteratos homines felicissimum!  
O studia incorrupto Rom. Pontificis calculo  
comprobata!

Magna quidem haec sunt, & omni laude dignissima, sed minime miranda. Etenim vir hic tantus studiorum suorum nondum emenso curriculo, confestim se totum non sibi, sed Reip. natum esse manifestavit. Quapropter clarissimis graecanae Sapientiae luminum exemplis edoctus, Platonis nempe, Pythagorae, Solonis, qui singulas fere terrarum orbis partes gravi, diuturnoque itinere peragrarunt, ut viros sapientiae fama clariores inviserent, eorumque praecepta in patriam derivarent; ex paternis aedibus, ex Hispaniarum confinibus egressus, florentissimas Hispaniae urbes, celeberrimas illius Academias adire decrevit, summa illa, quam tum flagrabat discendi cupiditate excitatus, ut uberiores doctrinarum censum ad communem Reip. utilitatem compararet. Et quidem Augustae Taurinorum, Parmae, Bononiae, in ipso etiam Archigymnasio Romano, in urbe totius Orbis christiani primaria eruditorum hominum consuetudine, sermo-

mone, doctrina, propter eximias animi sui  
dotes, ingenii ubertatem, & generis splendo-  
rem dignatus est. Quid plura? Rom. ipse  
Pontifex tanti Iuvenis modestia, candore,  
morumque facilitate captus, non solum be-  
nigne illum excepit, allocutus est; sed inter  
intimos etiam Sanctitatis suae *CAMERARIOS*  
adnumerare voluit, ut perpetuum extaret  
Pont. Max. erga *PETRUM RICUM* bene-  
volentiae signum, & argumentum. O rem  
post memoriam hominum inter Hispanos non  
auditam! O singularem *RICORUM* gloriam  
cum omni posteritate adaequandam! O exi-  
miam certe Rom. Pontificis humanitatem, &  
amplissimam de *PETRO* conceptam existima-  
tionem nulla temporum iniuria, nulla obli-  
vione delendam!

Haec eadem de tanto viro concepta exi-  
stimatio Oscensis Academiae Professores im-  
pulsit, & subiectis veluti facibus inflammavit,  
ut illum Maioris iam Vincentini Collegii Re-  
ctorem meritissimum, litterarii Oscensis Gy-  
mnasii Principem, & Moderatorem cunctis suf-  
fragiis renuntiarent; quod quidem ingenti  
omnium plausu, magna bonorum omnium  
lae-

laetitia, summaque bene sentientium gratulatione factum fuisse comperimus. Intelligebant enim eum amplissimo litterarii coetus honore decorandum, qui tantam, tam gravem, tam arduam provinciam posset, & strenue suscipere, & susceptam pro dignitate retinere. Nec eos fefellit opinio. Maiorum enim suorum imaginibus inflammatus, qui tantum pro patria, pro Rege, pro civibus, pro bonis litteris, pro ipsius Academiae honore, & incremento laborarunt, rem litterariam promovere, adolescentibus stimulos addere, Professores ipsos erigere ad maxima quaeque obeunda non desistit cum magno litterarum bono, & ingenti auditorum utilitate. Hinc factum fuisse crediderim, ut tanti viri fama Oscensis urbis finibus contineri non posset, & ad alias etiam gentes propagaretur. Quare Barcinonenses Academiae Hispaniensium omnium facile Primae, quae de *optimis litteris* inscribitur, doctissimi viri, **PETRUM RIC** anno proximo inter ingenuos, illustresque nobilissimae Academiae Socios adnumerarunt.

Sed quid ego plura commemorem? Si vellem singula praeclari Maecenatis nostri facta,

& Maiorum suorum in patriam, & in literariam rep. merita vel leviter attingere, quis non videt, quam prope nullis circumscripta terminis in immensum cresceret oratio mea? Silentio tamen praeterire non possum clarissima illa duo Hispaniae Iurisprudentiae lumina, quibus Magistratus nostri ornati intelliguntur; Michaellem scilicet, & Petrum RICOS huius patruos, & Oscensis Lycei Alumnos; quorum alter sive in Regio Aragoniae Foro, sive in Supremo Castellae Senatu difficillima totius Regni negotia optime expedit, Regi iura adeo diligenter adseruit, sive in Regii Fiscii procuratione, sive cum Mercatorum Havannae Commitio praesset; pauperum levamen Regii Montiserrati Nosocomii Rector constitutus tanta caritate, & fide curavit, eiusque redditus vindicavit, auxit, promovit, ut pauperum, ac patriae Pater, & legum hispaniensium vindex passim ab omnibus praedicaretur: alter vero non solum in Regio Valentinorum Foro, & Eques etiam Montesianae Militiae in gravissimo Militarium Ordinum Consessu, in Supremo Castellae Senatu Fratris ima-

ginem vividis coloribus expressit; sed à Carolo III. destinatus fuit, ut gravissimo illi Episcoporum *Extraordinario* Coetui in ipsa eius erectione adesset, ad res illas aleae & difficultatis plenas expediendas, in quibus de Sacerdotii, & Imperii iuribus caste, integreque vinciendis, Europa cuncta inspectante, in Urbe Regia non sine magna iudicii maturitate agebatur: ab eodem Carolo Rege Regius Consiliarius in promovendis renuntiatus adeo prudenter, & religiose se gessit, ut magnum posteris exemplum reliquerit imitandum.

Quapropter quum non nihil etiam à maiorum suorum gestis viri sapientes laudis, praesidiique sibi comparare valeant, & ornamentum; quis non videt, *TE*, Rector sapientissime, Maiorum tuorum imaginibus, rebusque pro patria pro litteraria rep. praeclarissime gestis excitari, litterarum, & litteratorum hominum patrocinium pro viribus suscipere, ut ad maximum scientiarum culmen, & disciplinarum decus Sertoriani Gymnasii Alumni pervenire conentur? Quis ignorat, *TE* non verbis modo, sed exemplo praecipue ad litterarum studia, ad animi candorem, ad



mores caste, integreque formandos adolescentes adhortari, cunctisque etiam ordinis Senatorii viris facem praeferre ad maxima quaeque in Academiae decus, & gratiam suscipienda? *TU* quidem, Sapientissime *PETRE*, veluti Iulius Caesar, vel Cato alter Romanae Philosophiae lumina, Dux nomine, re miles in literario pulvere primum locum tenens, cum ignorantiae monstris in arenam descendens, acieque decertans, Romanorum Philosophorum facta longe lateque superabis, Maiorum tuorum vestigiis inhaerens, Magistratum insignia, & litterarum omnium ornamenta comparabis, *TUASQUE* raras dotes Oscenses Musae Graeciae, & Latii luminibus olim ornatae iustissimis laudibus efferent. Et quidem si Oratoris, si Philosophi personam sustinenti, teste Tullio, aliquando licet augurari, haec omnia ex Apollinis Pythii oraculo edita esse maxime cupimus. Quo fiet, ut perpetuo vigeat in Iuris utriusque scientia *RICORUM* nomen, & fama ad magnam Regni gloriam, & Collegii huius nostri, cuius nomine hos primos litterarum fructus *TIBI* sistimus, decus, & ornamentum.




## IN PHILOSOPHIAM UNIVERSAM PROLEGOMENA.

**E**A est profecto in Disciplinis tradendis opinionum varietas, ut nihil certum, nihil constans, nihil omnino omnium etiam sapientissimorum hominum consensione firmatum inveniri facile possit. Quod quidem & in aliis scientiis, & in Philosophiae praesertim studio maxime observatur. Alii enim veterum Philosophorum memoria, & antiquitatis monumentis summo opere delectati, gloriosum existimant, & plenum ingenui pudoris fateri cum M. Tullio, per quos profecerint. Alii vere physicis, & mathematicis studiis omnino dediti, ita Recentiorum placitis abripiuntur, ut omnem antiquitatis notitiam parvi pendant, Philosophorum veterum characteres, & effata respuant, nihilque fere probandum existiment, nisi quod aut ipsi, aut Recentiorum principes invenerint, aut adornarint; veterum vero sapientum studia, labores, vigilias, systemata veluti inutilia, aeternaeque oblivioni amandanda negligant, seu tamquam puerorum nugas per omnium ora criminose traducant. Etenim in severioribus am-

A

plis-



plissimis Disciplinis ingurgitati adeo quidem omnia fastidiunt, quae Geometricorum, & Algebristarum oleum non sapiant, ut, Platonis more, auditoribus omnibus ad se venientibus aditum occludere conentur, qui non geometrico, & erudito certe, ut ait Tullius, Mathematicorum conspersi pulvere conspiciantur. Ego quidem etsi plane fatear, plenoque ore praedicem aetatis nostrae Philosophos in arcanis naturae detegendis plurimum desudasse, resque pene infinitas ex obscuritatis latebris, quibus in Philosophia veteri delitescabant, in lucem, communemque conspectum eruisse; multumque luminis, & splendoris Philosophiae universae ex Mathematicis Disciplinis, & Recentiorum vigiliis accessisse, iisque maxime afficiar, maxime recreer, maximeque sustenter; in eam tamen cum multis, hisque clarissimis de litteraria rep. viris optime meritis opinionem adductus sum, ut Historiam philosophicam omnis aetatis gentium omnium Philosopho viro non utilem modo ad ornatum, sed ad scientiam etiam, & numeris omnibus absolutam cognitionem adprime necessariam existimem, ac Philosophiae ipsi praemittendam. Ex ea enim tanquam ex feracissimo solo mens humana, quae exigua adeo, & imbecillis ostenditur, plures, eosque uberrimos fructus decerpere poterit. Quapropter ex Diogene Laertio, Launoio, & doctissimo aetatis nostrae Verneio praecipua sequentia capita excerpimus, quae auditoribus nostris addiscenda proposuimus.

EX PHILOSOPHICA HISTORIA.

**P**hilosophiam mundo coevam esse non obscure ex sacris litteris erudimur. Adamus enim primus omnium parens, qui rebus omnibus nomina imposuit, quique ex muneri sui ratione alios docere tenebatur, tanta rerum naturalium cognitione ornatus perhibetur, ut à D. O. M. Philosophiae habitum maximo, & immortali munere illi concessum fuisse adfirmemus.

2....Rerum naturalium cognitio ab Adamo ad Mo-  
sen usque multorum annorum intervallo propagata,  
novam, eamque clariorem lucem accepit ex Geome-  
triae, Arithmeticae, & Astronomiae praeceptis, quae  
ex Aegyptiis Hebraeo mutuasse dicuntur.

3....Salomonis Philosophia tanta fuit, ut Adami scien-  
tiam vel aequarit, vel longe fortasse lateque superarit.

4....Quo autem modo ad illius posteros sapientiae  
amor manaverit, exponemus.

5....Apud Orientales, Babylonios praesertim, Persas,  
Indos, aliosque populos Philosophiam maxime floris-  
se in dubium revocari non potest; quamvis pro cer-  
to habeamus, fabulis plerumque Poetarum testimonia  
permixta esse. Magorum arcana, Zoroastris doctrina  
de *Deo magno*, de *inferioribus Diis*, de perpetua *lucis*  
cum *tenebris* contentione, aliaque id genus sexcen-  
ta à sanae mentis Philosopho aliena sunt. Idemque di-  
cendum existimamus de *rationalis*, & corporei *ignis*  
sy-

systemate á Brachmanis Philosophis, & Gymnosophistis iniquo Marte excogitato. Neque Sapientum horum apud veteres celebratissimorum origo tam antiqua est, ut Scriptores nonnulli gloriae specie, & cupiditate decepti evincere conantur.

6...Celebrior longe, multoque illustrior fuit Chinesium doctrina, á Confusio viro apud illos religioso tradita, de mundi anima coelo indesinenter alligata. Confusii errores, eiusque cultum ab Ecclesia iure merito proscriptos esse ostendemus.

7...Apud Arabes, quorum Doctores Magi, postea Sabaei dicebantur, aliquo in pretio Philosophia fuit, etsi multis errorum tenebris circa astrorum spiritus obvoluta: illam tamen, licet non ea, qua par erat ratione, repurgarunt Aegyptii, qui Geometriae practicae, Astronomiae, Artis Medicae, & Magicae canonibus imbuti alias gentes scientiarum suarum luminibus illustrarunt.

8...Inter omnes vero caput extollit Graecia Disciplinarum omnium altrix, atque magistra, ex cuius fontibus ad remotissimas usque orbis terrarum plagas scientiarum rivuli derivarunt. Quantum igitur operis Athenienses Philosophi in perficienda, ornandaque Disciplinarum Disciplina contulerint, missis Poetarum fabulis, & Legumlatorum statutis, inter quos septem illa graecanae sapientiae lumina numerantur, ex incorruptis Historiae monumentis, & clarissimorum Scriptorum effatis eruimus: praecipuas, easque plerumque inter se oppositas sectas, doctrinae summam, & characteres breviter enarrabimus. Sermonem igitur instituemus I de Secta Ionica, II de Stoica, III de  
Pla

5

Platonica, IV de Academica, eiusque in quinque Academiae partitione, V de Aristotelica, eiusque fortuna, non aequae secunda, VI de Pythagorica, VII de Eleatica, de Heraclito, Democrito, & Epicuro, necnon de Pyrrhonicorum ignorantia summa, ac denique de clarioribus harum doctrinarum patronis.

9....Philosophiam graecanicam apud Macedones ab Alexandri temporibus viguisse, apud Iudaeos, Romanos, aliosque Occidentis populos usque ad Christum natum sub Romanorum Principum auspiciis floruisse ignorare poterit is, qui & graecam, & Romanam historiam ne è limine quidem salutaverit.

10....Plurimas Graecorum sectas vel penitus extinctas, vel oblivioni amandatas, Romanorum Imperatorum favore renatas, & in pristinum restitutas fuisse, multasque ex illis tamquam ex infecta radice haereticorum cavillationes pullulasse, ab incorruptis Ecclesiae fastis erudimur. Quare dicemus primum de Philosophiae conditione in V primis Ecclesiae saeculis; deinde de eius progressu, de Platonicae *recentioris*, & Peripateticae Patronis usque ad saeculum X, ubi etiam de Mahometis impietate, & Alcorani deliramentis.

11....De Philosophiae incremento sub Lanfranco, & S. Anselmo Berengarii, & Roscelini, qui infinitas propemodum tricas, & cavillationes induxerunt, oppugnatoribus, sub SS. Bernardo, & Thoma Aquinate Doctore Angelico, sub Iohanne Duns Scoto, aliisque bene multis Peripateticorum fautoribus usque ad saec. XV, in quo mortale vulnus Scholasticae Philosophiae cum ingenti bene sentientium plausu inflatum fuit.

12....Ab hoc felici temporis exordio Petrus Ramus natione Gallus, vir si quis alius, & graecis, & latinis litteris eruditus, & in mathematicis disciplinis summo opere versatus, Franciscus Patricius à Gregorio XIV summo honore habitus, Franciscus Sanchezius Braccarenensis, Thomas Campanela Dominicanus, aliique plurimi, quasi signum aliquod extulerunt ad Aristotelis doctrinam ex inveterata Academiarum sede deturbandam: quod quidem Diis faventibus, non sine magno labore, animique contentione, sed ingenti bonarum artium fructu, & Reip. litterariae bono consequuti sunt.

13....Ad novam litterarum gloriam plurimum contulit *Artis Criticae* usus, qui his ipsis temporibus inventus est.

14....Cl. Philosophiae & litterarum restauratoribus facem praetulit, & viam stravit Franciscus Baconius de Verulamio opere vere aureo de organo scientiarum.

15....At Recentiores Philosophi, qui in deturbando Aristotele mirifice consenserunt, non eandem omnes viam adgressi sunt, neque ad Critices canones hypotheses suas sive ex veteris Philosophiae fragmentis efformatas, novisque quasi vestimentis indutas, sive eo observationis, & meditationis sinu in medium productas aequa ratione ostentarunt. In illis enim multa invenire licet, quae iam à Platone, ab Anaxagora, ab Epicuro, ab Aristotele ipso inventa, excogitata, agitata fuerant. Ex quo fit, ut laus tribuenda sit veteribus illis Sapientibus quod egerunt, venia danda quod reliquerunt; ut Recentiores Philosophi ingenii sui luminibus Philosophicarum Disciplinarum orbem accenderent.

16....Quare agemus primum de Gallorum Philosophorum post renatas litteras Coriphaeo Renato Cartesio, ac de eius systemate vorticoso rectae rationi parum consentaneo.

17....De Petro Gassendo Epicuri doctrinae, saniori tamen consilio, meliorique ordine, instauratore.

18....De Isaaco Newtono felicissimi ingenii viro, & inter litterarum studiosos studiosissimo, cuius in Philosophiam merita nulla aetas conticescet, nulla delebit oblivio. Praecipua systematis Newtoniani capita explicabimus, & tuebimur.

19....De Guilielmo Leibnitzio viro maximi ingenii, & in Metaphysicis Disciplinis versatissimo; at eius doctrina circa corporum compositionem ex elementis simplicissimis, quae ille (ex Trismegistro fortasse) *monadas* adpellat, & *armonia praestabilita* ad intimam corporis cum anima coniunctionem explicandam nobis non arridet.

20....De praecipuis instrumentorum ad res physicas, & astronomicas demonstrandas inventoribus, de nobilissimis Europae Academiis, quae novam philosophandi rationem inierunt, de eruditissimis Religiosorum Ordinum Professoribus, qui summo studio, editis etiam scriptis, totos ingeniorum suorum nervos ad cultiorem Philosophiam illustrandam contulerunt, libentissime disseremus.

## DE MATHESEOS ELEMENTIS.

**A**ntonijs Genuensis Philosophiae gloria in primis clarus, Matheseos usum in Arte Logica=Critica conce-



ceptis, his verbis expressit: Mathematicae usus est, ut mentem, ad recte ratiocinandum, *capacior*, & *aptior* efficiat; ut demonstrandis theorematis physicis inserviat, ut artes mechanicas perficiat. Ex quibus intelligere licet non *historicam* tantum cognitionem Philosopho viro sufficere, neque ad *philosophicam*, & iam numeris omnibus absolutam satis esse ipsas rerum causas, atque rationes perspectas habere. Si enim Philosophus, ut par est, causarum, effectuum, aut rerum quarumcumque magnitudines, rationes ad calculum revocare, ac definire voluerit, mathematica cognitione imbutus esse debet; ut res illas ad recti iudicii trutinam appendere valeat. Quare haereat oportet in omnibus fere physicis veritatibus demonstrandis qui omni prorsus mathematica cognitione destitutus sit: qua in re auditores nostros hospites omnino, ac peregrinos esse passi non sumus. At non ita (quod Deus avertat) á natura, vel ab arte comparati sumus, ut falsis imaginibus ludere, & integris veritatis Iudicibus, ut olim gloriabatur Cicero, verborum lenociniis, & orationis apparatu tenebras offundere velimus. Ut itaque vero stet suis honos, ea tantum auditoribus nostris ex Matheseos fontibus delibavimus, quae rebus physicis adprime intelligendis usui esse possent, cetera relinquentes illis scientiarum amatoribus, quibus, & otium, & tempus suppetunt, illisque etiam, qui ex instituti sui ratione tenentur ad eiusmodi studia, quae maximum decus, & ornamentum universae reip. conciliare valent, pro viribus perficienda.

**A**rithmeticam universam, praecipuas Algebrae regulas, & illustriora Geometriae Theoremata, & Problemata, quae Io. Bapt. Horvat Presb. in Regia Budensi scientiarum Universitate Theoriae Physicae sublimioris, & Mechanicae Professor in suis Matheseos elementis clara methodo Tyronibus tradenda existimat, & sine quibus res physicae consistere ullo modo possunt. Eadem nos in palaestra propugnabimus.

## THESES.

## EX LOGICA, ET CRITICA.

**1** = Philosophiam à dubitatione inchoandam esse statuit Cartesius, ne scilicet praeconceptis opinionibus, sensuum fallaciis, infantiae praeiudiciis, magistrorum, populi, parentum auctoritate abrepti, errorem veritatis loco habeamus; gravius enim malum est, longeque graviora mala error induceret, quam ignorantia.

**2** = Dubium autem eo fovendum, donec certus sis veritatem te esse assecutum; quae quidem sine praeclearo Logicae lumine gravissimis circumfusa tenebris occultari solet.

**3**... Logicam igitur, *illam nimirum sapientiae partem*, quae per omnes sapientiae partes, teste Tullio, manat, ac funditur, quaeque Disciplinaryum Disciplina ab Augustino adpellatur, inter scientias merito adnumerandam censemus.



4=Quum Logica tota quanta est, mentem humanam in inquirendae veritatis studio dirigat, ac certas demonstrationis regulas ad verum à falso discernendum proponat: quis non videt ad ceteras eam scientias, ac disciplinas omnes, rite, feliciter, ac pro rei dignitate comparandas aditum praebere, ac veluti facem praeferre?

5=Et quidem Logica nos docet definitionem, divisionem, rerum percipiendarum rationem, idearum seriem, earum inter se comparisonem, argumentorum sedem, & alia id genus sexcenta, sine quibus adcurata cognitio vix, ac ne vix quidem consistere posse videtur.

6....Quod spectat idearum originem, qua de re maxima fuit semper inter Philosophos concertatio, ingeniosa est profecto Peripateticorum, & Gassendarum hypothesis ad rerum materialium ideas corporei *phantasmatis* ope animae imprimendas. Sed tamen, etsi certum sit, rerum multarum notionem sensuum auxilio comparari; nullatenus possumus Peripateticis subscribere, si ideas pure intellectuales de medio tollant.

7....Imo nec Platonice, nec Cartesianis, nec Malebranchio ideas innatas, vel in Deo ipso extra mentem repraesentatas adstruentibus. Mediam igitur tenentes viam; plures esse ideas pure intellectuales, quarum aliquae facili rationis usu acquiruntur, propugnamus.

8=Idearum partitionem in claras, & obscuras, distinctas, & confusas, completas, & incompletas, adaequatas, & inadaequatas, cetera enumerabimus; quibus ea adiungemus, quae Iacquierius tradit de materiali illarum differentia.

9...Aristoteles Logicam suam auspiciatus fertur 4  
li-

libro *praedicamentorum*, existimans, ea omnia, quae mente concipi possunt, ad decem suprema genera, quae *praedicamenta*, seu *categorias* nuncupavit, posse revocari: quae quidem praetermittere omnino non audemus; nec Porphyrii *praedicabilia*: at haec omnia, & septem *categorias* à Recentioribus inventas summam attigimus.

10....Ad idearum partitionem pertinet doctrina de universalibus à Stoicis vehementer agitata. Haec igitur nostra mens est: Praeter voces, & ideas sunt, vel esse possunt in ipsis individuis quaedam naturae communes non quidem *formaliter*, sed tantum *fundamentaliter* ante omnem intellectus operationem.

11....Hinc sua veluti sponte fluit graduum metaphysicorum distinctio tanto animorum aestu, & professorum clamoribus in Lycei spatiis olim disputata. Gradus igitur metaphysici unius, & simplicis essentiae non distinguuntur formaliter ex natura rei; plurimi tamen distinguuntur virtualiter, seu cum fundamento.

12....Animi nostri sensa, idearum intellectualium notiones signis, scriptura, & vocibus exprimere solemus: unde ad Logicam pleno iure spectat de signis his agere. Nos itaque signa naturalia ab artificialibus, arbitrariis, & Aegyptiorum hieroglyphicis distinguentes, adserimus voces esse signa arbitraria tum cogitationum nostrarum, tum ipsarum rerum. Hic etiam data occasione nonnihil de linguarum origine, ut Philosophum decet, disseremus.

13....Plures tamen sunt in variis linguis voces, quae praeter primariam significationem, aliam ex usu (quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi) habent

bent accessoriam, qua fiunt obscœnæ, vel impudentes: aut è contrario honestæ, & verecundæ.

14=Vocabulorum usus rite institui debet, ne omnia perperam confundamus, eumque nos in *civilem* dividimus, & *philosophicum*. Locutiones tropicæ oratoribus relinquendæ; vocabula ambigua vitanda; ea autem, quibus nullum reipsa significatum respondet, quales sunt in Recentiorum sententiâ, illæ à Peripateticis tertio quoque verbo repetitæ voces *accidens absolutum*, *horror vacui*, *antiparistasis*, prorsus eliminanda. Potest, & debet Philosophus terminos illos, quos *technicos* adpellant, usurpare, licet à puro, putoque latini sermonis candore maxime abhorreant. Adhuc enim memoria nobis non excidit celebre illud Quintiliani effatum: „ Dura quaedam admodum videntur, ut *ens*, & *essentia*; quæ cur tantopere aspernemur non video; nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus; ideoque paupertate sermonis laboramus.

15...Ex idearum inter se collatione iudicium efformamus, quod verbis plerumque efferimus. Iudicium igitur est actus simplex mentis ex pluribus notionibus minime compositus.

16...Hic autem Iudicii actus ad intellectum potius, quam ad voluntatem pertinere videtur.

17...Quum autem iudiciorum veritas, aut falsitas constituat formalem propositionum differentiam, recte concluditur, propositionum contradictoriarum alteram esse necessario veram, alteram necessario falsam; ita tamen, ut contradictionis vi neutra sit definite vera, aut definite falsa.

18....Propositionum veritas, & falsitas demonstrationis ostensivae, & apogogicae vi, aliisque argumentationum generibus ita facile comparatur, ut veritates plurimae certissimae solo rationis lumine demonstrantur; unde à Philosophia universa rigorosum Scepticismum eliminandum esse pronuntiamus.

19=Quaenam autem regula, ac via tutissima tenenda sit ad verum à falso distinguendum, neque veteres Philosophi Epicurus, Anaxagoras, & Plato, neque Recentiores Cartesiani, Leibnitius, aliique una inter se consentire videntur. Nos autem nullo partium studio abrepti, contendimus, ad verum à falso discernendum, sufficere regulas Logicae, nec alio veritatis criterio opus esse.

20....Hac veritatis tessera, qua vera à falsis, certa à probabilibus tuto discernimus, rationis evidentiam comparamus; quae quidem triplex cum Leibnitio statuenda est, intellectus scilicet, sensuum, auctoritatis. Prima mathematicam, secunda physicam, tertia moralem gignit certitudinem.

21...Haec autem omnia ita inter se comparari censentur, ut scientia, fides, & opinio possint esse simul in eodem intellectu de eodem obiecto per diversa media, seu motiva.

22....Sensibus, si omnia á Criticis statuta recte observentur, fides nequaquam neganda est.

23....At si evidentia in veritatis inquisitione deficiat, tum ducimur probabilitate, qua certe flectimur, sed ente, perplexe, cum sollicitudine, & animi anxietate.

24....Porro probabilitas est in ratione directa mentorum, quae vel intrinseca sunt, vel extrinseca.

25....Si vero haec fuerint aequalia, tunc tertius quoad cognitionem mentis nostrae status oritur, qui dicitur dubii, à quo in statu aequilibrìi relinquatur animus.

26....Iam vero mathematica evidentia nihil tutius; eique si adversetur physica, posterior fallax habenda est.

27....Quod si humana auctoritas cum evidentiaphysica pugnet; historia inter aniles fabulas recensenda est.

28....Cave autem, ne historiam veluti falsam respicias, quod eventus causam non agnoscas, nisi mentem tuam veri, & falsi mensuram oscitanter statuere velis.

29....Plura nihilominus in ipsa humana auctoritate sedulo perpendenda sunt, ante quam fidem omnem ei praebeamus. Quae omnes, aut plures narrant historici oculati, nemine refragante, certa habeantur.

30....Si unus oculatus historicus aliquid adfirmet, nemine in contrarium scribente, certitudini valde accedimus, si in historico, cui fidem habemus, necessariae reperiantur dotes.

31....Hae praecipuae sunt scientia, & probitas; quae si reperiantur in historico non solum coaevo, sed etiam domestico, is tunc fidem facit locupletissimam. Cavendum autem, ne partium studio domesticus fuerit corruptus.

32....Ex quibus aperte colligitur, non efficere historicos, nisi probabilem auctoritatem, si non fuerint neque oculati, neque coaevi.

33....Cum nemo coaevorum factum memorat, etsi

re-

recensendi opportunitas aderat, & factum postmodum à testibus non coevis recensetur, *argumento negativo* fidem adhibere posterioribus detrectamus.

34....Perperam autem veluti *argumentum negativum* obruderetur silentium unius, vel plurium historicorum coaevorum, si res gesta ab aliis coevis recenseatur. Qui enim silet, oscitantiae, aut malitiae tantum accusari potest.

35....Ceterum si plures, imo etiam infiniti historici ex uno tantum accipiant, non pluris faciendi, quam primus, ex quo narrationem desumpserunt.

36....Reiicere vero historici auctoritatem eo tantum nomine, quod sit fallibilis, desipientis est.

37....Ast quum libros saepe depravaverint veteres, aut supposuerint, Criticae Artis regulas diligenter consulere debemus, ut genuinos à spuriis, integros à corruptis distinguere valeamus. Et haec de Arte Critica, quae Auditoribus nostris academico more tradidimus Antonium Genuensem imitati.

38....De hypotheseon usu, de duplici methodo analytica, & synthetica dicemus; & adcuratis discendi, docendi rationes à Iacquierio Tironibus propositas, expendemus.

## EX METAPHYSICA

**M**etaphysica, quae post renatas praesertim litteras, inter praecipuas Philosophiae partes adnumeratur, à Philosophis fere omnibus optime, adcurateque definiri iam solet: Facultas, quae generales entis adfectiones corporeis, & incorporeis etiam entibus com-

mu-



munes *considerat*; adeoque incorporeas etiam substantias, earumque proprietates solo rationis lumine nobis conspicuas contemplatur.

2=At vero licet ab Aristotele *Philosophia prima* nuncupetur; si quis tamen vivida mentis acie XIV. eius libros, qui *Metaphysici* inscribi solent, inspexerit, inveniet profecto, *Metaphysicae* nomen non ex operis argumento, sed ex fortuito librorum ordine, ac situ derivatum esse. At Recentiores Philosophi Verulamius, Cartesius, Malebranchius, Clarchius, Lokius, novissime vero, elapso saeculo, Leibnitius, & Wolfius, & hac nostra aetate Antonius Genuensis, copiose adeo, & sapienter nobilissimae huius facultatis argumenta pertractarunt, ut maximus illi splendor accesserit. Quapropter illorum nos vestigiis inhaerentes, in plura capita *Disciplinam* hanc claritatis gratia, partiemur.

## EX ONTOLOGIA, ET COSMOLOGIA.

3... **D**Ebat is aliquot ad veritatis inquisitionem necessariis theorematibus, universalia leviter attingemus *Ontologiae* principia, quibus veluti fundamentis tota hominum scientia inaedificatur. In quibus principem locum obtinet effatum illud: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, quod quidem cum D. Thoma primum cognitionis principium constituimus, eo videlicet sensu, ut cetera licet evidentissima axiomata ad illud, ut demonstrarentur, revocari queant.

4....Huic est maxime consonum Leibnitianorum de ratione sufficiente principium; quod quidem his limitibus continendum ducimus, ut nihil esse in mundo

ma-

materiali sine ratione sufficiente propugnemus.

5....At eiusmodi principium adeo universale non est, ut ad causas quoque liberas, & ad divinam voluntatem necessario extendatur, ut pluribus evincit Ang. Doctor.

6=Entis nomine intelligendum venit, quod existere potest, seu cuius existentia non repugnat.

7=Id quod primum in ente, in quo ratio sufficiens continetur, cur cetera actu insint, vel inesse possint, essentiae nomen apud Recentiores obtinuit, eum quibus plurimas ac fere omnes intrinsecas rerum essentias ignorare ingenue fatemur.

8=Entis simplicis, & compositi, possibilis, & actualis, &c. notiones trademus, & ens simplex à composito, necessarium à contingente oriri non posse contendimus.

9....Sunt autem essentiae omnes aeternae, & immutabiles, ut ne ab infinita quidem Dei potentia variari possint, quamvis Cartesius, alique contrarium statuerint.

10....Neque enim quae intrinsecus impossibilia sunt, potentia ulla existere possunt, & sua Deo constabit omnipotentia, si quae intrinsecus impossibilia sunt, ad actum non valeat reducere.

11=Principium individuationis est omnimoda determinatio eorum, quae enti actu insunt. De entium unitate, veritate, & bonitate, de illorum determinationibus interioribus, quae quantitates vel qualitates dicuntur, nec non de creatione & anihilatione, ortu & interitu, finito & infinito, ac denique de variis causarum generibus, quae omnia ad res sublimiores

in Theologia pertractandas maxime conferunt, interrogati libentissime disseremus.

12=Inter entia composita, & perfecta, dignissimum sibi vendicat locum mundus hic aspeetabilis, quem, teste Plinio, Graeci *kosmon* nomine, *ornamenti* appellare: cum & nos à perfecta, absolutaque elegancia *mundum* dicimus.

13...Hanc ergo universi pulcherrimam, ac mero rerum nexu, & ordine exstructam compagem ex fortuito atomorum concursu efformatam, asserere audebit is tantum, qui in Epicureorum coeno emutritus sit.

14...Libenter igitur, ac fidenti animo adversus impios providentiae ossores, firmamus, mundum hunc à Deo Opifice creatum esse.

15...At vero nec Aristotelis aliqua, nec XX Procli argumenta tanti ponderis censenda sunt, ut mundi aeternitatem adstruamus. Mundus igitur in tempore è nihilo à D. O. M. productus est. Monitum tamen volumus, dogma de mundi aeternitate nihil omnino coniunctum esse cum quaestione in scholis agitata: *utrum nimirum aeternitas sit successiva*: qua de re Scotistae, & D. Thomae discipuli quasi pro aris, & focis contendere consueverunt. Difficultas fortasse evanesceret, si aeternitatem definirent: *existentia, quae inito, & fine caret.*

16...Si autem mundi antiquitatem à nobis exquiras, accuratiorem illorum Philosophorum calculum ducimus, qui à mundi exordio usque ad Christum natum 4000 annos fluxisse ostendunt.

17...Ex spatio, & materia exurgit mundus hic aspeetabilis, qui tamen omnium possibilium perfectis-

si-

simus cum Leibnitianis censi non debet. Neque enim ratio sufficiens creationis mundi fuit *Optimum* à Leibnitio inventum, se ipsa divini Opificis voluntas, quae est summa, & suprema ratio.

18=Mali metaphysici, physici, & moralis doctrinam à cl. Iacquierio traditam exponemus, & tuebinur; quae Leibnitianorum moles ingeniose extracta, omnino corrui.

## EX PSYCHOLOGIA.


19=**A**ge vero nunc ad substantias incorporeas animi aliquantulum convertamus; quae quidem doctrina ad plurimas Religionis christianae veritates adsendas est maxime necessaria. Certo constat hominum mentes nullis praeditas esse innatis ideis, ut antea dicebamus, sed cognitiones omnes aut à sensibus, aut à meditatione acquirere.

20...Ideae autem non sunt cum perceptionibus confundendae, quemadmodum factum est ab Arnaldo.

21...Iam vero quum animus sit quod in unoquoque nostrum cogitat, ad illius naturam definiendam statui debet, an corpus vel materia sit cogitationis, & perceptionis capax. Qua in re luculentissima sane fidenti animo adversus Materialistas propugnamus, cogitationem materiae, & corpori repugnare.

22...Humanus quoque animus nihil habet coagmentatum, nihil copulatum, sed simplex est, & spiritualis.

23...Destructo corpore immortalis perseverat anima; quidquid contra Epicurei, & eorum fautores moliti sint.



24....Nobis non displicet animae definitio, à Scholasticis tradita: *spiritus creatus incompletus*. Quamvis enim anima in se spectata substantia sit, spiritus tamen incompletus appellatur eo nomine, quod humano corpori informando destinata, apta sit cum eo ad unum totum substantiale constituendum.

25....Anima etiam est *forma substantialis* corporis, ut ex Conciliorum decretis erudimur: quoniam autem modo, adhuc sub iudice lis est: *ut det ei vitam*, apposite ait D. Thomas.

26....Reali autem commercio, & influxu coniungitur corpori, & Physice in ipsum agit.

27....Qui reale commercium inter corpus, & animam systemate Caussarum occasionalium à Cartesianis, Malebranchio duce statuto, & Harmoniae Praestabilitae à Leibnitio infeliciter invento elevare aggressi sunt, intimae conscientiae, phaenomenis, hominis rationi adversantur.

28....Anima etiam totam humanam machinam operituum animalium per internam nervorum substantiam excurrentium moderatur.

29....Hinc fit, ut sensationum vi anima excitetur. Quare sensationis leges expendere debemus: haec igitur omnium prima statuatur: *ut producta ab obiecto sensibili in organo sensorio mutatione aliqua, huic in mente respondeat sensatio, quae in illa mutatione rationem habeat cur actu sit, & cur talis sit.*

30=Quare sensationes merito definiuntur: *perceptiones, quarum ratio contineatur in mutationibus, quae corporeis nostris organis accidunt, quatenus sunt organa.*

31=Quatuor praecipuas sensationum regulas, quae

ex

ex hoc principio emanant, quæque ad fallacias de-  
tendas inserviunt, in circo enuntiabimus.

32=Quæ Iacquieritis tradit de sensuum officiis, ima-  
ginatione, memoria, intellectu, eet, & multa sunt.  
& utilia, quæ prætermittere non possumus, eaque  
omnia adsumimus defendenda.

33...Mens non eadem semper ratione in obiecta  
fertur, ea enim alias appetit, alias adversatur; ita ta-  
men à natura comparata est; ut nihil adversari pos-  
sit nisi sub ratione mali, nihilque adpetere nisi sub ra-  
tione boni.

34....Anima sese ad volendum, vel nolendum de-  
terminat sine ratione sufficiente Leibnitiana, non ta-  
men sine motivo aliquo.

35...Ex his principiis imperitæ Fatalistarum cavil-  
lationes convelluntur; Mahumedanum fatum evertitur,  
& mentis humanæ libertas adstruitur.

36...Ne autem de brutorum anima nihil dicere vi-  
deamur, observabimus bruta spontaneis motibus do-  
nari: affectibus agitari, voluptate, & doloribus per-  
fundi; obiecta vitæ utilia, & noxia discernere, ex  
quibus immaterialitas animæ brutorum satis luculen-  
ter ostendi potest: si ab effectu ad causam nobis li-  
cet argumentari. Hac ratione facilius Materialistis eri-  
pitur argumentum, quo humanos animos ad corporum  
conditionem nituntur dēicere.

## EX THEOLOGIA NATURALI.

37...**S**ED à spiritibus creatis ad sempiternum nu-  
men, primamque rerum omnium causam gradum fa-  
cia-



ciamus. Satis certe ostendi potest naturali lumine existere substantiam aliquam aeternam & in corpoream.

38....Eadem possibles omnes habet perfectiones, seu *intensive*, & *extensive* perfecta est.

39=Adeo certum & exploratum est, existere ens à se, quod existentiae suae rationem sufficientem in essentia sua habeat, necessarium, aeternum, immutabile, simplex, unicum, perfectissimum, ut à nullo sanae mentis Philosopho serio dubitari queat.

40....Ex idea entis perfectissimi Deum existere evincitur, omnesque possibles perfectiones *formaliter*, vel *eminenter* continere.

41....Metaphysicis ergo rationibus demonstrari potest existere Deum.

42....Ex ordine pariter, structura, & finibus universi, physicum, & quidem validissimum cum D. Thoma depromitur argumentum ad existentiam Dei adversus Atheos demonstrandam.

43=De Dei immutabilitate, immensitate, omnipotentia, aliisque attributis, quantum humanae mentis imbecillitas solo rationis lumine illustrata patitur, summam, prout Philosophum decet, pertractabimus.

44....Mala enim, quibus homines perpetuo afflictiuntur, eius bonitati, sapientiae, & potentiae nequaquam officiant.

45....Mala vero physica sunt potius argumentum divinae bonitatis in homines.

46....Ea autem omnia, quae Deus omnipotenti sua voluntate creavit, directa & positiva Dei conservatione indigent.

47=At vero quum creaturae omnes à Deo dependen-

de-

deant, nedum ut sint, & esse pergant, sed etiam ut operentur, Deus ad omnes, & singulos creaturarum, actus etiam liberos immediate concurrat: quod quidem demonstrare posse confidimus: sed ipsum Deum physice creaturas ad agendum praedeterminare, Theologis, & ratione, & auctoritate demonstrandum relinquimus.

48....Ad divinam providentiam quod attinet, erecta fronte adversus Epicureos totis viribus propugnemus. D. O. M. rebus omnibus providere, ac sapientiae suae legibus cuncta moderari.

49....Divinae providentiae impudentissime refragatur Spinoza, dum ait: *Miraculum esse opus naturae, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus*; à cuius sententia non longe abhorret Lokius. Adversus hos igitur Religionis ossores miraculum definiendum esse censemus: *effectus singularis insolitus, cuius ratio sufficiens extra naturam universam continetur.*

50....Ex bonitate Dei rationis lumine demonstrata derivatur amor creaturarum in ipsum, ex perfectione obsequium, ex potentia creationis, & providentia servitus; quum autem ex summo amore, obsequio, & servitute creaturarum exhibita ei cui debetur, oriatur religio, manifestum est Deo deberi religionem. Quam veritatem vel Epicurus ipse, licet Dei providentiam sustulerit, adeo aperte confusus est, non aliter, quam parentem Deum colendum esse *existimaverit*. Qua propter Deum O. Max. non solum cultu interno, sed etiam externo colendum esse propugnemus.

51....Nisi vero maximus cultus, & obsequium ipsi exhibeatur, vel si exhibeatur alteri, cui non debetur,  
ori-



eritur falsa religio, & superstitio, qualis est Ethnicorum.

52....Iisdem principiis, & argumentis ad hominem ostenditur, Mahumedanorum religionem esse imposturam, & superstitionem.

53....Theologia naturalis vera est; sed imperfectam tantum exhibet Religionem. Unde revelatio hominibus necessaria; quidquid à Deistis usque modo in contrarium prolatum fuerit.

54....Doctrinae autem sanctitate, prophetiis, & miraculis, veluti characteribus, revelatio divina ab impostura secernitur. Quum autem iidem characteres reperiantur in libris christianae Religionis, continebitur idem divina revelatio.

## EX PHYSICA GENERALI.

Quum Recentiorum Physica à Peripateticorum methodo, & philosophandi ratione toto coelo differat, nostrum est exhibere Canones, sive regulas à Newtono invecetas, à Recentioribus usurpatas argumentorum sedes, quibus & nos in physicis demonstrationibus utemur, nam ut disserte monet Tullius: *nisi inter eos, qui disceptent, convenit quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest.* Regula I. Causae rerum naturalium non plures admitti debent, quam quae & verae sint, & earum phoenomenis explicandis sufficiant, Regulae huic praemittendam esse certissimam effectus cognitionem, monet Iacquierius.

Reg. II. Ideo effectuum naturalium eiusdem generis

ris

ris eadem adsignandae sunt caussae, quatenus fieri potest. Reg. III. Qualitates corporum, quae intendi, & remitti nequeunt, quaeque corporibus omnibus competunt; in quibus experimenta instituere licet, pro qualitatibus corporum universorum habendae sunt. Haec est eadem lex illa, quam Logici, & Rhetores *inductionem* appellant. Reg. IV. In Philosophia experimentalis propositiones ex phaenomenis per *inductionem* collectae, non obstantibus contrariis hypothesebus, pro veris aut accurate, aut quam proxime haberi debent; donec alia occurrant phaenomena, per quae aut accuratiores reddantur, aut exceptionibus obnoxiae. Hanc a *posteriori* disputandi rationem, quam sequitur Newtonus, & nos amplectimur; Cartesianis relinquentes demonstrationem a *priori*, dummodo hypotheseon veritates, cum naturae legibus, & ratiocinio conformitatem evincant.

Huc accedit Scripturae sacrae, & Ecclesiae auctoritas, quae leviter usurpanda non est in impugnandis, aut firmandis Conclusionibus Philosophicis; nam ut S. Augustinus ait: „ Non legitur in Evangelio Dominum dixisse: mitto vobis Paraclitum, qui vos doceat de cursu Solis, & Lunae: Christianos enim facere volebat, non Mathematicos.

At vero si de SS. PP. auctoritate sermo instituitur; quum alii Platoniorum, Peripateticorum alii castra sequuti multa eaque magna apud illos Philosophiae principes stipendia meruerint, nihil mirum si Physica nostra ab illorum opinionibus recedat; quin gravissima illorum auctoritas, & mira consensio in gravissimis fidei quaestionibus ne leviter quidem imminuatur.

D

atur.

atur. Nam ut sapienter animadvertit Canus noster:  
 „ SS. Patres in hisce artibus humanis, ac scientiis non  
 „ Christum, sed Platonem, sed Avicennam, homi-  
 „ nes videlicet impios, aut caecos habuere magistros;  
 „ aut suum intellectum fallacem, aut alios homines erro-  
 „ ribus obnoxios sequuti sunt. Quapropter concludamus  
 „ cum M. Tullio: „ non tam Auctores in disputan-  
 „ do, quam rationis momenta quaerenda sunt. Haec  
 igitur praemittenda putavimus, ut ambiguitas omnis tol-  
 leretur. Veniam iam ad theses firmandas.

1=Physica scientiarum omnium pulcherrima in cor-  
 pore naturali detegendo, eiusque passionibus exploran-  
 dis occupatur; at in illius natura investiganda, com-  
 positi naturalis principis inveniendis plurimum insuda-  
 runt Phylosophi; quorum opiniones recensebimus. Quoad  
 primigenia elementorum corpuscula, de quibus graves  
 incunt Peripatetici cum Recentioribus concertatio-  
 nes, de perfecta minimarum particularum duritie,  
 diversaque illarum natura nihil omnino adfirmare au-  
 demus.

2....At vero si de compositi naturalis forma, quam  
*semi substantiam* vocant Scholastici, sermo habeatur,  
 hanc formam ex diversa tantum partium textura,  
 plexu, & ordine repetendam esse contendimus.

3....Licet evidētia mathematica nequeat existentia  
 corporum demonstrari, suppetit tamen physica evidētia,  
 cui ex animo vale dicere desipientis est.

4....Utinam tanta certitudine essentiam corporis pos-  
 semus statuere: haec enim usque modo à nobis  
 ignoratur.

5....Neque innotescunt nobis nisi corporum attributa  
 ali-

aliquot, extensio scilicet, soliditas, mobilitas, inertia; in quibus vires *attractivæ*, *repulsivæ*, *motrices*, numerantur; quas quidem corporibus inesse docent phaenomena; etsi illarum virium causa nos fugiat.

6...At vis inertiae adeo clare in corporibus ipsis dignoscitur, ut eam validissimis rationibus demonstrandam suscipiamus.

7=Ut haec in bono lumine collocentur, notiones mobilis, spatii, temporis, celeritatis, cetera perspectas habeamus oportet. *Mobile* igitur est quod movetur, aut moveri potest. Nomine *spatii* à mobili confecti venit linea illa, quae ab eodem instar puncti considerato percurritur. *Tempus* hoc loco illud consideratur quo motus durat. Si mobile aequalibus temporis partibus aequales spatii partes percurrat, motum habet *uniformem*, seu *aequabilem*; sin minus motus *diformis* muncupatur. Motus *diformis*, in quo spatia aequalibus temporis partibus respondentia sensim crescunt, *acceleratus* dicitur, *retardatus* vero si decrescant. *Massae* nomine venit illa collectio particularum mobile constituentium. *Volumen* est extensio mobilis in longum, latum, & profundum. *Quantitas motus* est, ut eiusdem massa ducta in celeritatem, singulis eiusdem partibus communem. Quod si ergo quantitas motus dicatur  $Q$ , massa  $M$ , celeritas  $C$ : est  $Q=MC$ . *Lineam directionis* dicimus eam, iuxta quam mobile progreditur, vel progredi nititur.

8...Quibus positis actioni aequalem & contrariam esse reactionem affirmamus: vim tamen ab actione, resistantiam à reactione distinguere oportet.

9=Virium compositionem dicimus virium plurium in  
vim

vim unicam contractionem; quam quidem doctrinam, ex Iacquierii desumptam plurimis exemplis illustrabimus.

10=*Attractio* generatim spectata dicitur vis, qua corpora in se mutuo, vel ad punctum aliquod tendunt, quod centrum virium ideo appellatur. Varias ilius species explicabimus.

11....Universalem inter corpora omnia attractionem demonstrant phaenomena; quare partes omnes materiae mutua attractionis vi praeditas asserere non dubitamus.

12=*Attractionis* lex est, ut corpora omnia sese attrahant in ratione directa massarum, & duplicata inversa distantiarum.

13=*Praeter* attractionis legem in ratione distantiarum duplicata decrecentem admittenda est lex alia in ratione plusquam duplicata decrescens.

14=*De* gravitate constanti, quae in corporibus observatur, deque praecipuis gravitatis terrestri adfectionibus rationem reddere parati sumus interroganti.

15....Omnia equidem telluris nostrae corpora gravitate donata sunt.

16....Unde vero gravitatis caussa repetenda, impervium adhuc; illud unum certo constat gravitatem intrinsecam esse: hoc est corporibus omnibus constanter inesse.

17....Etenim Cartesiani frustra conati sunt ope suorum vorticum phaenomena omnia gravitatis explicare.

18....De gravitatis centro doctrinam à Iacquierio traditam expendemus.

19....Si distantiae à centro, & materiae quantitates fuerint inaequales, erunt vires gravitatis in ratione com-

posita ex directa materiae ; & quadratorum distantiae reciproce.

20...Inter corporum proprietates locum tenet extensio.

21...Praecipuas igitur extensionis notiones investigabimus. Extensionem merum non esse *phaenomenon* adversus Leibnitianos tuebimur.

22...Extensionem penetrabilem, sive quod idem est apud nos Vacuum in rerum natura existere, invictissimis ab experimentis, & observationibus desumptis argumentis, evincere conabimur.

23...Hinc sua veluti sponte fluit illorum Physicorum doctrina, qui corpora omnia innumeris esse pertusaporis contendunt : quorum sententiae libentissime subscribimus.

24...Soliditatem à corporum duritie, physicam à geometrica corporum divissibilitate distinguendam esse censemus.

25...Extensionem quamlibet in infinitum geometricè divisibilem demonstrabimus.

26= De corporum figurabilitate, de metallorum, & auri praecipue ductilitate, quae in innumeras prorsus sensibus conspicuas partes dividi possunt; de admiranda plane materiae subtilitate libentissime disputabimus.

## EX MECHANICA.

1=**M**otus absolutus dici solet *continua loci mutatio*, sive applicatio corporis ad diversas partes spatii mobilis.

2...Motus localis existentiam adversus Sophistas adstruimus, eorumque cavillationes risu excipiemus.

3...= Varias motus species recensebimus.

4...In motu aequabili spatium adaequat productum, quod fit ex celeritate ducta in tempus.

5...Quantitas motus, sive momentum, est factum ex massa in celeritatem.

6...Gravia motum suum accelerant iuxta seriem numerorum imparium.

7...Corpus vi centripeta, & centrifuga actum per curvam movetur, & vicissim.

8...Pro diversa vero harum virium ratione varia existunt curvarum genera.

9...Corpora projecta supra superficiem terrae, vi gravitatis parabolam describunt.

10...Velocitates pendulorum decidentium ex diversis altitudinibus sunt ut subtensae arcuum percursorum.

11...Arcus minimi pendulorum aequalium, licet inaequales, sunt isochroni.

12...Instituta pendulorum experimenta accuratissime demonstrant gravitatis terrestri inaequalitatem.

13...Si corpora dura & aequalia aequalibus viribus sibi occurrant, in occursu quiescunt. Idem in molibus locum habet.

14...Corpora vero elastica supra planum quodcumque incidentia resiliunt. Ab elasticitate vero reflexionis causa repetenda.

15...Praecipuas Mechanicae leges complexi sumus.

I. Gravia aequalia in aequalibus à fulcro distantis suspensa aequiponderant: & è converso. II. Sed inaequa-

31  
qualium corporum aequaliter à fulero distantium maius  
minori praeponderat, cet. ex quibus tamquam ex fon-  
tibus demonstrandas adsumimus propositiones omnes,  
quas Corsinus noster in suis Staticis elementis, qua  
polebat ingenii facilitate, explicat.

16—Fundamentum autem totius Staticae sequens est  
Theorema: ut potentia sit in aequilibrio cum resiste-  
ntia, debet esse ad resistantiam, ut reciproce veloci-  
tas posterioris ad velocitatem prioris.

## EX HYDROSTATICA.

**P**ulcherrimam illam Physicae partem pertra-  
ctandam adgredimur, quae de libratis liquoribus, de  
fluidorum motu, & aequilibrio pertractat, quaeque à  
veteribus, si Archimedes excipias, penitus ignorata  
fuit. At recentiores Philosophi in ea illustranda, &  
perficienda plurimum insudarunt; in quibus principem  
fortasse locum obtinet Michelinus Ordinis nostri orna-  
mentum, & litterarum decus quam maximum, qui  
primus omnium de *fluminum directione* librum con-  
scripsit eruditorum calculo probatum. Nos autem ex  
instituti nostri ratione, praecipua Hydrostaticae ca-  
pita complectemur.

2...Fluidum definiri solet *corpus omne cuius partes  
vi circumque illatae cedunt, & cedendo facile moventur  
inter se.*

3...Quamvis ingenue fateamur rerum causas ple-  
rumque nos latere; nihilominus ex physicis observa-  
tionibus asserere possumus, ex spherica particularum  
fluidarum figura, illarumque minima vi attractiva satis  
pro-



probabilem repetendam esse fluiditatis causam.

4....Fluida undequaque premunt aequaliter: inferiores enim fluidi partes à superioribus in primis premuntur continenter; deinde premuntur ab iisdem in omnem partem: ac denique presio, quam unaquaqueque fluidi pars persentiscit aequilibrîi tempore, est in omnem partem aequalis.

5=Presio fluidi in fundum vasis horizontaliter situm est in ratione composita fundi, seu baseos pressae altitudinis perpendicularis qua fluidum supra fundum eminet, & gravitatis specificae fluidi; Ita si presio vocetur  $p$ , basis presa  $b$ , altitudo perpendicularis fluidi  $a$ , eiusdem gravitas specifica  $g$ ; est generatim  $p = abg$ .

6=In *tubis communicantibus* quibuscumque fluida homogœnea in eadem altitudine aequilibrantur. Si enim fluidorum altitudines  $A$  &  $a$ , gravitates specificae  $G$  &  $g$ , exprimantur; quum aequilibrîi tempore sit generatim  $A : a :: G : g$ , si est  $g = G$ ; etiam  $A = a$  sit est necesse.

7=Hic data occasione non abs re erit explicare celebratissimum problema de Corona Hyeronis Syracensarum Regis.

8....At contraria sunt *tuborum capillarum* phaenomena: haec ex mutua aquae & vitri attractione repetenda videntur: in illorum causa investiganda praeter ceteris insudavit Iurinus.

9....Fluida gravitatis specificae maioris collocata in fluido immerguntur, & pondus amissum aequatur ponderi molis antagonistae.

10....Quantitates aquae aequalibus temporibus per

lu-

lumen vasis cylindrici, aut prismatici effluentis, sunt ut series numerorum imparium decrescentium.

11...De fluidorum resistentia, quae tradit Iacquierius, exponemus.

12=Corporum elasticitas cum fluidorum doctrina coniuncta est. Cartesiani, celeberrimo Malebranchio duce, elasticitatis causam tribuunt minimis subtilissimae materiae vorticulis; quibus corpora omnia plena esse fingunt: at Newtoniani ex attractione repetendam esse contendunt: quis tamen in hac causa aleae & difficultatis plena Index sedere audeat, plane non video.

13...Inter corpora elastica praecipuum sibi vindicat locum aer, qui & gravis est, & elasticus. Praecipuas ipsius proprietates, & phaenomena, quae ex eius elasterio oriuntur, indicabimus.

## EX ASTRONOMIA.

1=DE sphaera coelesti, eius divisione, circulis, poli altitudine, cet. agemus iuxta doctrinam à Iacquierio traditam, nec non de parallaxi.

2...Stellae fixae immani prorsus intervallo à nobis distant; lumine proprio splendent, seu totidem soles sunt.

3...Sol autem ignea substantia est, & sua donatur atmosphaera, quae lumen zodiacale constituit.

4...Planetae circa solem revoluti sunt corpora opaca suis donata orbitis, & atmosphaeris.

5...Circa Solem quoque in gyrum rapiuntur Cometae, qui pariter sunt corpora opaca in ellipsis, vaide excentricis revoluta. Hinc fit, ut inter corpora

sublunaria, aut meteora recenseri non debeant; quod quidem de aliquibus cometis confessus fuit D. Thomas.

6...Cauda vero Cometarum ab igneis halitibus intenso solis calore Eulero excitis videtur repetenda.

7...Ptolemaicum mundi systema Planetarum motibus explicandis excogitatum, & Physicae, & Astronomiae repugnat.

8...Convenit autem Astronomiae, sed adversatur Physicae Tichonicum.

9...Copernicanum autem à Keplero emmendatum, à Newtono meliori ordine ad Astronomiae, & Physicae leges digestum, hypothesis loco à nobis statuitur.

10...Sol gravitat in Planetas primarios, primarii in solem, & in se invicem; atque ex hac mutua attractione Planetarum primariorum phaenomena luculenter explicantur. Quae quidem omnia ex Nevvtoni systemate de mutua corporum omnium attractione de prompta sunt; at eius hypothesis licet ingeniosa, ac vero proxima hucusque accurate omnino demonstrata non est: multis enim, iisque gravissimis obruitur difficultatibus: quod & ipsi huius hypotheseos patroni, & vindices ingenue confitentur.

11=De Planetis secundariis, de earum figura, motibus, necnon de Eclipsibus plurima complectemur.

### EX PHYSICA PARTICULARI.

**I**N hac Physicae parte de orbe terraqueo, ac de corporibus in illius superficie existentibus breviter disseremus, ne longior, quam par est, evadat oratio nostra.

1.—Ac primo quidem, ut uno verbo plura complectamur, omnia quae Iacquierius sect. IV. de *Geographia* tradit, amplectimur, & explicabimus. Si autem de latitudine geographica loci sermo referatur, haec est aequalis altitudini poli supra horizontem.

2....Quamvis certo cognita non sit adcurata telluris figura, eam tamen versus polos compressam, sive sphaeroidem esse, demonstrant observationes, atque experimenta.

3....Ab actione Lunae, & Solis repetenda sunt aestus maris phaenomena.

4....Inter corpora, quae in terrae gremio continentur, principem apud veteres locum occupabat magne, cuius virtutes *attracticem* scilicet, *directricem*, & eam qua ferro attrahendi, & dirigendi vim imprimit, à tenuissimorum corpusculorum, quae perenni motu ex Austro in Boream per lineas axi terrae parallelas feruntur cum Cartesianis, & Hugenio repetendam esse probabiliter existimamus.

5....Et terrae visceribus fontes etiam erumpunt: horum autem origo non mari, sed pluviis, solutisque nivibus tribuenda.

6....Arbores omnes, & plantae ex seminibus procreatae producuntur. Multa de illarum augmentatione, conservatione, varietate, & structura dicemus.

7....Ne autem de animantibus in terrae superficie commorantibus nihil dicere videamur; in eorum generationis genesi, & origine assignanda longe à Peripateticis dissidemus. Animalcula omnia, quae Scholastici *imperfecta*, nescio qua de causa, vocare solent, quaeque ex putri originem habere contendunt, ex

oyis

ovis oriri, & procreari totis viribus propugnamus.

8=Tempus est iam ut de igne, & opticae principiis nonnulla adstruamus. Ignis igitur substantia mobilissima est, & subtilissima quae per spatia aequabiliter diffunditur.

9=Eius autem caractères sunt rarefactio corporum, calor & lux.

10=Calor vero non tactu iudice, sed thermometro definiendus.

11...Lux autem cum igne confundi solet, nec aliud est quam emanatio substantiae corporis igniti. Consistit enim in tenuissimis quibusdam ipsius lucentis corporis particulis, quaquaversus iugiter profluentibus, & per lineas proxime rectas, nisi quantum refractione torquentur à priori tramite, ad oculos nostros delatis.

12...Eadem pernici, & incredibili celeritate movetur, non vero in instanti, ut aiunt.

13=Lucis particula in medio quidem homogeneo progreditur uniformiter in directum; quotiescumque tamen ex uno in aliud medium dissimile transit, motus sui variationem subeat necessum est.

14...Lux non est homogœnea, sed radiolis constat diversa praeditis refrangibilitate.

15=Præcipua reflexionis, & refractionis phaenomena proponemus, quibus aliqua de diffractione adiungentur.

16...Reflexionem autem lucis in minimis à contactu distantis fieri, refractionem vero vi attractivae medii tribuendam esse vix in dubium vocari potest.

17=De visione, de visus perficiendi ratione, oculi structura, de Machinis Dioptricis, Catoptrico

Dio-

Dioptricis cet. sermonem habere nobis erit iucundissimum.

18...Newtonianum Opticae systema phaenomenis omnibus colorum satisfacit.

19...Certissimis experimentis demonstravit Newtonus diversam radiorum refrangibilitatem; atque ex eadem doctrina pendent Iridis phaenomena.

20...Quum radii diversa praediti refrangibilitate, diversum colorem exhibeant: concludere licet, colores omnes consistere in varia lucis modificatione.

21==Ea omnia quae Iacquierius docet de calore, & frigore de sono, & auditu cet. libentissime amplectimur.

22==Chronologiae elementa, quae in rebus Theologicis maximo usui esse possunt, Auditoribus nostris tradidimus, & illustriores Epochas tum sacras, cum profanas docuimus, quibus adiecimus praecipua problemata, quae Paulinus Cheluceius è Scholis Pii in Append. Chronolog. ad calcem suarum Institut. Arithm. tironibus resolvenda proponit.

MONITUM.

Expeditiorem auditoribus nostris viam ad res physicas rite intelligendas facere volentes, nullum lapidem non movimus. Quare P. Theodori de Almeyda opus diligentissimum, quod *Recreatio philosophica* inscribitur, in quo fere omnia argumenta physica clare, distincte, concinneque pertractantur, nocturne, diurnaue auditores nostri versarunt manu; adeo ut nullus dies temere intercesserit; in quo aut aliquid ex hoc opere non legerin, aut de rebus in illo contentis academico

mo.

more non disputarent. Deus velit , ut haec in rebus  
difficillimis pertractandis diligentia & auditoribus , &  
nobis ex sententia eveniat.

## EX ETHICA.

**P**ervenimus tandem ad eam Philosophiae par-  
tem, quae hominum societati utilisima est, quaeque  
morum doctrinam ex illibatis fontibus haustam docens  
Ethica inscribitur. Ad eam igitur pleno iure spectat,  
boni, & mali accuratam notionem tradere, & vera  
Moralitatis principia statuere.

1....Ex notione igitur Dei, & creaturae rationalis  
sunt omnia Moralitatis principia.

3....Adeo tamen essentialis, atque intrinseca perhi-  
betur actionum moralium differentia, ut independens  
omnino ab hominum opinionibus demonstratur.

4....Quum boni, & mali notio neminem latere pos-  
se videatur; una, indelebilis est, quoad universalia, &  
proxima principia legis naturalis notio.

5....Quin & in ipsa lege naturali suam rationem ha-  
bet lex quaelibet.

6....Ex legis naturae notione nascitur obligatio, quam  
*imputatio* consequitur; cuius condiciones exponemus:  
obligationem autem omnem à divina voluntate ema-  
nare pronuntiamus.

7=Quum inter actiones, quae hominibus *imputari*  
solent, veniant etiam illae, quae indifferentes vocan-  
tur; magna inter Philosophos agitur controversia,  
quae tota de nomine videtur cordatis viris: nam sola  
logomachia pugnare videntur S. Thomae Discipuli, &  
Sco-

Scotistae.

8....Nos itaque actus plurimos indifferentes in *specie*, ut aiunt, nullos autem in *individuo* esse, sive omnibus indutos circumstantiis cum Ang. Praeceptore propugnamus.

9=Actiones bonas praemia, malas autem poenae manent; quare praemiorum, poenarumque notiones, quantum ad Philosophos attinet, expendemus.

10...Ex purissimis Philosophiae Moralis fontibus demonstrabimus, post corporis mortem, in altero futurae vitae statu bonos manere praemia, malos autem supplicia.

11=Virtutis naturalis, christianae, philosophicae characteres, quos adsignare solent Philosophi data opera ostendemus.

12=Ex verae virtutis notione fluit etiam verae beatitudinis notio, qua in re tantum inter se dissidebant veteres Philosophi, & Graeci, & Latini, ut S. Ang. ex M. Varrone enumeret ducentas, & octoginta circa beatitudinem obiectivam opiniones.

13...Nos autem Philosophi Christiani *formalem* hominis beatitudinem, quae in hac vita comparari potest; & debet, in verae virtutis exercitio colocamus.

14....*Obiectivam* vero hominis beatitatem in solo Deo constituendam esse adfirmamus.

15=Ad Ethicam ex instituto spectat de *conscientia* disserere; cuius etymon, naturam, divisiones, regulas in morum praxi observandas, & alia id genus sexcenta philosophico tantum more declarabimus.

16...Probabilistis, & corruptae morum doctrinae adsertoribus, argumentis ex sola Philosophia petitis bellum gra-



grave, & gloriosum indicemus, quorum systema sequentibus propositionibus impugnabimus. I. Non licet sequi conscientiam probabilem, quae favet libertati, in concursu opinionis aequae probabilis, quae favet praeccepto. II. Neque licet sequi opinionem minus probabilem, quae favet libertati in concursu probabilioris, quae favet legi; sequi tamen licet opinionem probabiliorem, quae favet libertati.

## DE IURE NATURAE ETHICO.

I=**H**ominem teneri ad tria ipsius officia, quoad mentem scilicet, quoad corpus, & tandem quoad statum externum perficienda docent Philosophi. Hinc praecceptum illud *Nosce te ipsum* tanquam totius morum doctrinae summam omnibus intimatum esse iure merito contendunt. Quibus praecipue rebus, ac studiis mentem perficere, affectus homini à natura insitos, compescere, regere, sedare, valetudinem curare debeamus, breviter ostendemus.

2....*Suicidium* autem, sive ut Graeci dicunt *autochiriam* legi naturali adversari pro viribus propugnemus, quidquid de Lucretia, & Catone iactitent Romani.

3....Cave tamen dixeris poenitentiam, sive corporis afflictionem ad vindicanda peccata, *suicidio* affinem esse, legique naturali repugnare.

4=Nos teneri ad vitae custodiam lex naturalis docet: quid autem sentiendum sit de nostri defensione adversus aggressores docent Iurisperiti. Nobis autem quid in multis rerum adiunctis ex caritatis christianae praeccepto agendum sit, ad purioris Ethices normam exponemus.

5=Quum triplex sit generatim erga nosmetipsos obligatio, quoad mentem nempe, quoad corpus, & tandem quoad statum externum, nos quoque erga alios triplici hoc officiorum genere obligatos esse cognoscimus, si debetis caritatis, & amicitiae vinculis connectamur.

6=Amicitia vero ita definitur à Recentioribus *animorum honestate, moribusque similibus mutua cum caritate arcta coniunctio.*

7=De perfectis, & imperfectis, quibus homo erga alios obligatur officiis nobis cordi erit in circo disserere.

## DE IURE NATURAE POLITICO.

8....**L**Us autem Politicum ex natura sua in ipso iure naturali fundatum esse, & ex eo originem habere, adversus Hobbesium, Spinozam, aliosque maleferiatos homines quasi pro aris & focis propugnamus.

9....Veram Iuris Politici originem ab Adamo ad haec usque tempora, eius progressum, & incrementa ab illis etiam temporibus, in quibus omnia erant in *communione negativa* adversus Pseudo-Politicos, quin nobis fucum faciant Poetae, ostendemus.

10....Nihil vero saluti, & tranquillitati publicae, quam totis viribus promovere tenetur Princeps, perniciosius inveneri poterit, quam impietatis usus. Quapropter impiissimam esse, atque etiam Societati civili perniciosissimam falsae cuiuscumque Religionis tollerantiam, quasi ex tripode pronuntiamus.

11....Circa luxum vero, si *luxus* nomine intelligatur

tur prodiga illa atque superflua pecuniarum effluo,  
quam excitant superbia, & ostentatio, societati ci-  
vili, & praecipuae morum doctrinae contrarium esse  
luxum censemus; & M. Catonis partes pro Lege Oppia  
ad Patres in Senatu dicentis libentissime suscipimus.

12....Quum Princeps à Deo constitutus artes o-  
mnes, scientias, commercium, & alia id genus plu-  
rima promovere debeat ad Reip. felicitatem, de ci-  
vium numero ad res eiusmodi rite obeundas solici-  
tus sit, oportet. Qua in re toto coelo aberrant,  
qui *coelibatum*, si limitetur societati civili noxium  
traducunt. Nos vero *coelibatum* pro aliquibus sancte,  
religioseque observatum Religioni maxime consentane-  
um, nec societati contrarium adserimus.

13....Quamvis nobis certo inotescat, *polygamiam*  
*simultaneam* legi naturali adversam esse, idque ex so-  
lis ethicae principiis demonstrari possit, nihilominus  
hanc quaestionem Theologis discutiendam relinquimus.

14=Ad communem societatis civilis felicitatem re-  
quiritur, ut non desint res necessariae, atque etiam uti-  
les, si fieri possit, habeantur. Hinc *commercii* neces-  
sitas, cuius partes praecipuas notionem, & eviden-  
tissima, quae has sequuntur principia, ostendemus:  
illustriores illius Epochas à primo mundi exordio ad  
haec usque tempora indicabimus.

15=Quid *contractus* nomine, *re*, *verbis*, *litteris*  
& solo consensu: quid in contractuum obligatione  
quoad intellectum, voluntatem, materiam intelligen-  
dum, ac tenendum sit, & alia huius generis sexcenta,  
indigitabimus.

16=Quum homines illi, qui turpis lucri cupidi-  
ta-

tate abrepti ( apud nos *Contrabandistae* audiunt ) mer-  
cium exterarum invectione plurimum commercio rite  
ordinato officere possint; adversus hos infimi subse-  
lliū homines, illorumque fautores has propositiones  
firmamus.

I. Omnes leges humanae obligant in consci-  
entia, etiam quae tributa imponunt, & quae re-  
rum aliquarum commercium interdiciunt.

II. In Hispania nostra leges illae, quibus, tabaci com-  
mercium, introductio, exportatio, venditio, custo-  
dia, & emptio prohibentur, sub mortali obligant: fau-  
tores omnes interdicti *commercii* etsi non omnes ae-  
que, omnes tamen peccant.

III. In Hispania omnes, qui utuntur artefactis inter-  
dictis ab exteris nationibus introductis peccant, gra-  
viori tamen peccato afficiuntur, qui ea in Hispani-  
am important.

Receptas contractuum species, divisiones, mu-  
nia, fidem, iusiurandum, & alia hic similia interro-  
gati dicemus.

# B. D. S. M.

